



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Hvmanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicæ Posthvmæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Qvæstio VI. De Ordine Assumptionis. In sex Articulos diuisa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

ARTICVLVS IV.

Vtrum Filius Dei assumpserit Intellectum?

20
Affirma-
tur.

Respondetur affirmatiue. Et Probatur ist- dem rationibus quibus Articulus superior. Ostensum enim est in Christo esse animam, qua non potest esse sine potentia intellectiua.

Dices: Potentia intellectiua posset separari à substantia animæ: ergo etiamsi habuisset animam rationis capacem, potuisset nihilominus carere intellectu, cuius vicè impleset intellectus diuinus. Sed contrà: Primò, Quia non potest separari sine maximo miraculo, quod non est ponendum sine euidenti causa. Secundò, Est contra finem Incarnationis, qui est curare peccatum, quod inhæret intellectui & voluntati. Tertio, Est contra perfectione illius animæ; careret enim vsu rationis, & libertate voluntatis; essetq; instar animæ brutalis, quæ neque Deum, neque diuina beneficia potest cognoscere. Quarto, Scripturæ tribuunt Christo Donum sapientie, intellectus, consilij, scientie &c. Iſaie 11. & alibi, Orare, mereri, admirari, esse mitem & humilem corde, quæ omnia pertinent ad intellectû & voluntatem humanam. Quarto, Intellectus si abfuisset, non potuisset suppleri ab intellectu Verbi; quia natura creata nõ potest vti intellectu diuino

Intellectus neque potuit, neque debuit ab anima separari.

ad intelligendum, cum nullum possit habere influxum in illum intellectum. Addo, Apollinaræ non tam ipsam potentiam intellectiua negasse assumptam, quam substantiam animæ, quâ parte intelligentiæ est capax. Argumenta Apollinaristarû non habent difficultatem. Vide Nazian. epist. 1. ad Chelidoniû, qui ea refert & soluit. Et Ambros. lib. de Dominicæ Incarnationis Sacramento c. 7.

Aduerte tamen Primè, Sicut Dominus assumpsit intellectum, ita etiam omnes alias animæ vires optimè constitutas; vt voluntatem, appetitum sensitiuum, sensum interiorem sine quo non potuisset humano more operari, sensuq; omnes exteriores, & omnes vires ad vim vegetantem pertinentes: nam hæc omnia pertinent ad hominis integritatè. Item assumpsit omnia accidentia naturalia corpori humano. Quos autem assumpsit defectus, dicitur infra quæst. 14. & 15.

21
Assumpta sunt omnes vires animæ.

Aduerte Secundò, Accidentia non esse immediatè assumpta, sicut anima, caro, ossa, sanguis & ceteri humores: sed mediatè dumtaxat. Ratio est, quia accidentia naturâ suâ nõ habent vllam substantiam, cum naturâ suâ respiciant alienû suppositum cui inhæreant & innitantur. Vnde non debebant immediatè à Verbo terminari, sed à naturâ humanâ, cui adherébant. Omnis autè substantia, siue sit perfecta siue imperfecta, habet aliquâ substantiam, saltem partialem; quia non respicit alienû suppositum: vnde conueniebat eam à Verbo suppleri, vt perfectissima esse hæc assumptio.

Accidentia sunt mediata.

QVÆSTIO SEXTA.

De Ordine Assumptionis.

In Sex Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum Filius Dei Carnem assumpserit mediante Animâ?

1

Respondetur, Ordine dignitatis & causalitatis assumpsit carnem mediante animâ. Probatur prior pars, Quia anima inter carnem & Verbum est dignitate media: ergo ordine dignitatis, caro assumpta est mediante anima. Patet Consequentia, Quia Deus inferiora per media in seipsum reducit; vt homines per Angelos, & corporalia per spiritalia. Altera pars probatur, Quia anima est causa cur caro sit assumpta; nam caro non est assumpta nisi propter animam.

Quid sit carnem assumptam

Notandum Primò, Hanc conclusionem, Caro est assumpta à Verbo mediante anima; non esse sic intelligendam, quasi caro non sit etiam immediatè Verbo vnita, ita vt eius propria substantia à Verbo suppleatur (hoc enim est manifestus error: nam sic Verbum non assumpsisset totam naturam humanam, nec esset homo;) sed quòd ipsa non sit assumpta, vel vnita Verbo propter seipsam, sed propter animam dumtaxat, vt sit eius instrumentum, in quo ipsa habeat suum naturalem statû & operationem; non enim caro congruens erat assumptioni, nisi ratione ordinis ad animam. Simili

modo dici posset caro & anima assumpta mediatè naturâ humanâ; quia natura humana finis erat huius assumptionis partium. Hoc modo explicata Conclusio est fide tenenda; habetur enim in VI. Synodo act. vltima. Eandem docent Patres: Nazianz. Epist. priore ad Chelidonium. August. Epist. 3. ad Volusianum, & lib. de Agone Christiano cap. 18. Damascenus lib. 3. de fide cap. 6.

Notandum Secundò, Non similiter dici animam assumptam mediante carne: quia caro non est finis anima, sed compositum; non enim anima existit vt carni benè sit, sed vt compositum existat: caro tamen est propter animam.

2
Anima non est assumpta mediante carne.

Notandum Tertio circa responsione ad 1. Est in ordine processionis creaturarum à Deo tamquam à principio efficiente, vna sit ratio alterius; nam caro est propter animam, & corporalia propter spiritalia, tamen non rectè diceretur caro creari mediante animâ, aut corpora mediante spiritu: per hoc enim significaretur spiritum & animam esse causam efficientem quasi instrumentariam creationis, vt volebant Platonici. Dicitur tamen rectè corpus assumi mediante animâ; quia assumptio pertinet ad ordinem reductionis rerum in Deum vt in finem: in quo ordine vna creatura est finis alterius; & ita vna assumitur mediante alterâ, tamquam ratione finali. Sed, hoc totum pertinet ad modum loquendi: vnde

Neque etiam creata mediante carne.

Ecce iij vnde

vnde D. Thomas potuisset totum argumentum admittere: sicut enim Deus immediatè dat omnibus esse per creationè, & immediatè est in omnibus, non autem est in vna re, mediante alterà; ita per assumptionè immediatè vnit sibi tam carnem, quàm animam: & sicut in creatione anima est ratio creandi corporis; ita in assumptione anima est ratio assumendi corporis. Solutio tamen D. Thomæ etiam bona est.

ARTICVLVS II.

Vtrum Filius Dei assumpserit animam mediante spiritu seu mente?

3
Affirma-
tur.

Respondetur affirmatiuè. Notandù est, hunc Articulù poni à D. Thoma propter D. Augustinum, qui libro de Agone Christiano cap. 18. sic ait: *Inuisibilis & incommutabilis veritas, per spiritum, animam; & per animam, corpus accepit.* Simili modo loquitur Damascen. lib. 3. de fide cap. 6. Probatur iisdem rationibus, quibus Articulus superior.

Quomodo
Anima &
Spiritus
distingua-
tur.

Aduerte, in homine esse tantùm vnã animã, quæ quatenus est principium seu fons virium sensitiuarum, & vegetatiuarum, dicitur anima: quatenus autem est fons virium superiorum, scilicet intellectus & voluntatis, dicitur spiritus & mens: qui duo gradus in ipsã animã vt summum distinguuntur formaliter. Sicut ergo caro dicitur assumpta mediante animã, tum quia anima dignitate est media inter carnem & Verbum; tum, quia caro est propter animam assumpta: ita anima dicitur assumpta mediante spiritu; tum, quia spiritus dignitate est medius inter animã & Verbum; tum, quia anima est assumpta propter spiritum: non enim erat congrua assumptioni nisi ratione spiritus. Quod vt intelligatur; imaginandum est in animã esse quasi duos gradus essentialis inter se distinctos; & animam secundùm eum gradum quo est spiritus, esse præstantiorè seipsã, vt est anima dumtaxat; ac proinde animam, vt est spiritus, esse mediam, inter Verbum & inter animam, vt anima est.

ARTICVLVS III.

Vtrum anima prius assumpta fuerit à Verbo, quam caro?

4

Respondetur, Anima non fuit prius tempore assumpta, quàm caro, sed eodem momento. Est fide tenendum contra Origenem, qui lib. 1. *περι ἀρχῶν* cap. 7. & lib. 3. cap. 3. & alibi, docet ab initio creaturæ omnes animas fuisse simul conditas, easque varijs deinde temporibus demitti in corpora, veluti in carceres, ob sua demerita. Ex quo fundamento lib. 2. cap. 6. docet animam Christi ab initio creaturæ fuisse vnitam Verbo indissolubiliter, & tandem post aliquot annorum millia, tempore diuinitus disposito, carni vnitam. Sed hoc fundamentum est omnino falsum; & refutatur in Sexta Synodo Generali actione 11. in oratione Sophronij sub finem, quæ oratio approbatur à toto Concilio actione 13.

Error Ori-
genis quòd
omnes ani-
ma simul
sunt ab
initio
creata.

Item in Concil. Braccarenf. I. can. 6. & in Leonis I. epist. 99. cap. 10. & à Cyrillo lib. 1. in Ioan. c. 9. qui 23. argumentis illud oppugnat. A Hieronymo epist. ad Palmachium de erroribus Ioannis Hierosolymitani. Ab Augustino lib. 11. de ciuit. cap. 23. Denique à D. Thoma lib. 2. contra Gentes cap. 83. & 84. Pari modo falsum est, id quod Origenes ex hoc fundamento colligit de Christi animã, eam ab initio fuisse conditam, & assumptã antè carnem: & refutatur speciatim in dictã oratione Sophronij; & à Leone I. epist. 11. ad Iulian. & Damasceno lib. 4. de fide c. 6. & breuiter hic à D. Thoma. Vbi aduerte, Origenem posuisse animam illam cum ceteris ab initio fuisse creatam, & aliquamdiu postea merito singularis dilectionis à Verbo fuisse assumptã (vt refert D. Thomas Commentario in Epistolam ad Hebræos lect. 4. quamuis non ita expressè ex verbis Origenis hoc colligatur;) deinde, in plenitudine temporis post multa secula carni vnitam. Vnde sequeretur, vt bene colligit D. Thomas, illam animam primò habuisse suam subsistentiam; deinde, hæc preempta, accepisse subsistentiam Verbi; quòd sanè absurdum est.

Item, quòd
anima
Christi fuit
antè car-
nem crea-
ta & vnita
meritis.

Sed obijci potest ex Origene lib. 2. *περι ἀρχῶν*, cap. 6. Christus Psalm. 44. dicitur, *Vinctus oleo lactis præ consortibus suis; quia dilexit iustitiam & odit iniquitatem:* ergo anima Christi merito dilectionis fuit vnita Verbo; quam dilectionem habuit statim ab initio: fuit ergo vnita Verbo ab initio. Respondeo cum D. Hieronymo epist. ad Principiam, *oleum lactis*, non esse vnionem hypostaticam, sed gloriam corporis, qua Christus in Resurrectione donatus fuit, eò quòd in Passione dilexisset peccatum & odisset iniquitatem: tunc enim verè dilexit iustitiam, & odit iniquitatè, quando, vt adduceret iustitiam sempiternam, & finem acciperet peccatum (iuxta vaticinium Danielis 9.) se in mortem obtulit. Similis locus est ad Philip. 2. vers. 8. *Humiliavit semetipsum vsque ad mortem: propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod est super omne nomen.*

5
Explicatur
locus Psal.
44.

D V B I V M.

Vtrum Anima saltem prius naturã non fuerit assumpta à Verbo, quàm caro?

Respondet & Dico Primò, Ordine intentionis prius naturã assumpta est Anima, quàm caro. Patet ex Artic. 1. Nam assumptio animæ fuit ratio & finis assumptionis corporis: Sicut enim corpus est propter animam; ita vnio Verbi cum corpore, facta fuit propter vnionem Verbi cum animã.

6
Anima
prius in-
tentione
assumpta
est quàm
corpus.

Dico Secundò, Ordine executionis & existentie prius naturã assumptum est corpus, quàm anima. Ratio est; quia corpus humanum prius naturã intelligitur perfectè dispositum, quàm creetur anima: Supponitur enim creationi animæ tamquam subiectum, in quo anima creanda sit: atque adeo est ratio cur anima hæc & nunc creetur: ergo prius naturã subsistit, quàm subsistat anima. Ergo vt non subsistat subsistentiã propriã, debet in illo signo naturæ præueniri à Verbo, antequam anima intelligatur creata. Confirmatur, quia quod est vltimum in intentione, debet esse primum in executione; vt patet exemplo eius qui ædificat

Corpus
verò prius
executione.

ædificat domum; vt rectè Caietan. art. 5. vbi fundamentum, quod est vltimum in intentione, est primum vnde incipit executio: atqui caro est veluti fundamentum humanæ structuræ: ergo &c.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Caro Christi fuerit prius assumpta, quam animata?

7
Caro simul assumpta & animata.

Respondetur, Non prius, sed omnino simul tempore caro Christi fuit à Verbo assumpta, & anima rationali viuificata. Est fide tenendum, & habetur in VI. Synodo action. 6. *Simul, inquit, caro, simul Dei Verbi caro; simul caro animata rationalis.* Et Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 18. *Firmissime tene, & nullatenus dubites, non carnem Christi sine diuinitate conceptam in vtero Virginis prius quam susciperetur à Verbo; sed ipsum Verbum Deum sua carnis acceptione conceptum, ipsamque carnem Verbi Incarnatione conceptam.* Idem docet Ambros. lib. de Dominicæ Incarn. Sacramento cap. 7. Et Damascenus lib. 3. de fide cap. 2. Et ratio est, quia caro non fuit assumpta nisi propter animam: ergo non debuit assumi prius tempore quam animaretur. Vtrum autem prius naturam fuerit assumpta quam animata, colligi potest ex dictis art. 3. & magis patebit ex dicendis art. 5.

ARTICVLVS V.

Vtrum tota humana natura sit assumpta mediante partibus?

8

Respondetur duabus Conclusionibus. Prior est: Ordine intentionis Verbum assumpsit partes mediante tota humanitate. Ratio est, quia vnio Verbi cum humanitate, erat finis & ratio vnionis ipsius cum partibus. Altera Conclusio: Ordine executionis Verbum assumpsit naturam mediante partibus.

DVBIVM I.

Vtrum prius natura assumpta sit Anima & Corpus, quam ipsa humanitas?

9
Humanitas est prior intentione.

Omnia opinioibus, quæ ferè tantum in modo loquendi disident: Dico Primò, Ordine intentionis prius naturam assumpta est tota humanitas, quam anima vel corpus. Est communis Doctorum dist. 2. Et Damasceni lib. 3. de fide cap. 16. Ratio est, quia Christus non assumpsit animam & corpus, nisi vt esset perfectus & integer homo: ergo prius intendit assumere humanitatem. Confirmatur, quia partes cum sint imperfectæ, non intenduntur, nisi propter totum. Vide Scotum dist. 2. quæst. 2.

Partes, priores sunt executione.

Dico Secundò, Ordine executionis & existentia, prius naturam assumptæ sunt partes, scilicet anima & corpus, quam totum. Probatur Primò, Quia operatio agentis incipit à partibus, & terminatur in toto: ergo ordine executionis prius assumptæ sunt partes. Quod potest confirmari exemplo domus ædificandæ. Probatur Secundò, Quia anima prius naturam subsistit, quam totum compositum: ergo prius naturam accepit subsisten-

tiam à Verbo, quam totum. Accedens Probatur, Quia anima prius naturam creatur, quam vnatur corpori: ergo etiam prius naturam subsistit, quam corpori vnatur. Patet Consequentia, quia creati, est subsistentium, vt docet D. Thomas in 1. parte quæst. 75. art. 2. & quæst. 76. art. 1. Et Confirmatur, quia creatio ex natura sua terminatur ad aliquid subsistens & independens ab alio, nisi aliunde impediatur: ergo prius naturam anima habet subsistentiam, quam vnionem cum corpore: nam subsistentiam habet præcisè ex vi creationis; vnionem autem cū corpore, ex naturali quadam actione distincta à creatione. Simili modo possumus argumentari de corpore; quia corpus prius naturam subsistit quam totum: ergo eius subsistentia prius naturam suppletur à Verbo, quam subsistentia totius. Antecedens patet, tum quia materia habet suam subsistentiam, cum nulli rei innatur, quin imò sit omnium fundamentum. Deinde, quia corpus humanum prius naturam est perfectè dispositum, quam anima vnatur: ergo etiam prius naturam subsistens, quam totum. Probatur Tertio, Quia in triduo mortis Verbum mansit vnitum animæ & corpori, soluta vnione cū humana natura: ergo prius naturam illis vniebatur quam toti. Nam quod est primum in executione, est vltimum in dissolutione. Probatur Quarto, Illud est prius naturam ex quo pendet esse alterius, non contrà: atqui ex vnione Verbi cum animâ & corpore, pendet vnio eiusdem Verbi cum humanitate, non contrà: nam hæc ex illâ resultat: ergo est prior, si ordinè essendi spectemus.

DVBIVM II.

Vtrum Anima & Corpus prius sint assumpta à Verbo, quam vnita inter se?

Respondeo & Dico Primò, Vnio animæ cum corpore, est prior intentione, quam vnio eiusdem animæ vel corporis cum Verbo. Sequitur ex dictis. Et ratio est, quia vnio animæ cum corpore fuit quodammodo finis vnionis eiusdem animæ & corporis cum Verbo. Verbum enim vnitum est animæ & corpori, vt hæc inter se vnirentur; & mediante vnione sui fieret vt Verbum vniretur humanitati ex eorum vnione resultanti.

IO
Vnio horum extremorum ordinis intentionis.

Dico Secundò, Ordine executionis & existentia prius naturam anima & corpus sunt vnita Verbo, quam inter se. Patet hoc ex rationibus allatis dub. 1. quæ hoc ipsum probant. Confirmatur ex signo: nam vnio animæ & corporis dissoluta fuit saluam permanente vnione illorum cum Verbo: ergo illorum vnio cum Verbo, non pendeat ab vnione illorum inter se.

Ordine executionis.

Dices; Etiam illorum vnio inter se, non pendebat ab vnione illorum cum Verbo: ergo hæc non erat prior. Patet Consequentia, quia prioritas naturæ, est prioritas causæ respectu effectus dependentis: ergo si vnio cū Verbo non est causa à qua dependeat vnio illorum inter se, non erit prior. Respondeo, vt vnio illorum inter se conuenienti modo fiat, sic pendet ab illorum subsistentia; nam ita debent vniri, vt sui vnione constituent compositum subsistens: vnde ipsa prius naturam debet habere subsistentiam suam vel alienam, alioqui non erunt conuenienter constituta

1. Obiectio.

Solutio.

E e iij ad vnio-

ad unionem inter se: tum, quia sui unionem non constituent compositum subsistens; tum, quia non habebunt complementum intrinsecum, quod illis est magis intimum, quam unio inter se. Quod confirmatur; quia sicuti natura ut possit operari, debet intelligi esse non solum existens, sed etiam subsistens, ipsaq; subsistentia intelligitur ut prior operatione, tamquam intima & necessaria conditio causae efficientis; ita anima & corpus ut possint inter se congruè uniri ad constituendum hominem, debent intelligi habere suas partiales subsistentias, vel id quod illarum vicem supplet.

2. Obie.
Sio.

Soluitur.

Dices Secundò, D. Thomas art. 4. ad 3. dicit, quòd caro prius necessariò intelligatur uniri animae quam Verbo, quod est perfectè contra hanc sententiã. Respondeo; D. Thomas agit de unione personali, id est, qua intelligitur constitui persona in natura rationali: non tamen negat, quin unione, quã constituitur hypostasis in genere, caro prius uniat Verbo, quam animae. Nam caro unita Verbo, antequam animetur, non constituit personam; sed hypostasim imperfectam.

DVBIVM. III.

Virum Spiritus prius naturã uniat Verbo, quam Anima?

11 **R**espondeo, Non prius, sed omninò simul naturã. Ratio est, quia anima & spiritus non sunt duæ res, sed vna simplex substantia, quæ dicitur anima, quatenus est fons virium inferiorum; spiritus autem, quatenus est fons intelligentiæ.

DVBIVM IV.

Virum præter unionem quã partes sunt coniuncta Verbo, sit aliqua unio per quã immediatè ipsa Natura Humana Verbo copuletur?

12
Negatur.

Respondeo breuiter: Qui imaginantur, totum esse quiddam tertium reipã distinctum à partibus simul sumptis; etiam ponunt distinctam quandam unionem, quã ipsum per se immediatè Verbo uniat. Sed quia hoc fundamentum omninò à veritate alienum videtur, censemus etiam non esse distinctam realiter unionem totius cum Verbo, ab unionibus partium cum Verbo. Sed sicut totum constat ex partibus, nihilque est aliud quàm partes unitæ substantialiter; ita unio totius constat ex unionibus partium, tamquam partibus suis; nihilque est aliud, quàm uniones partiales unitæ: dum enim anima & corpus Christi uniebantur in resurrectione, etiam uniebantur istæ partiales uniones, & coibant in vnam integram & completam unionem, qua humanitas per se primò & immediatè uniebatur Verbo. Similiter in conceptione. Vnde patet uniones partiales aliter se habere, quando sunt separatae, aliter quando unite. Sicuti anima & corpus, aliter se habent separata, aliter iuncta; dum enim iunguntur, accipiunt modum quandam unionis, per quem coalescunt in vnam naturam: sic dum hæ uniones iunguntur inter se tamquam extrema quædam, etiam accipiunt quandam unionem & modificationem, per quam coalescunt in vnam perfectam & completam unionem hypostaticam. Et iuxta hunc modum intellige quod habet Durandus in 3. dist. 2. quæst. 2. num. 12. in assumptione non

Quomodo uniones partium sunt unio totius.

Durandus explicat. ibi.

fuisse ordinem, sed simul naturã totum assumptum & partes: Quia, inquit, nec fuit ordo ex parte assumptionis, ut qua vnica fuerit; nec ex parte assumptorum, quia id quod per se primò assumptum est, est natura humana, qua est vnica; & partes eius non sunt assumptæ, nisi quatenus inter se unite; quomodo non distinguuntur à natura humana. Hæc enim intelligenda sunt de unione & assumptione completa resultante ex unionibus partialibus; per hanc enim simul naturã unitum est totum, & partes existentes in toto. Si autem loquamur de unione generatim, ut comprehendit completam & incompletam, sic datur ordo natura inter illas.

DVBIVM V.

Virum prius naturã assumpta sit Substantia Anima & Corporis à Verbo, quam intelligatur informari suis accidentibus?

13 **R**espondeo & Dico Primò, Verbum prius naturã censetur uniri animæ & corpori, & toti humanitati, quàm qualitates, quæ eodem temporis momèto oriuntur vel inferuntur, informant. V.g. anima prius naturã cõsetur vnita Verbo, quàm habere potentias naturales intellectum & voluntatem, aut habitus naturales, vel supernaturales. Ratio est, quia prius naturã res quæque intelligitur subsistens, quàm affecta proprietatibus: tum, quia subsistentia est modus substantialis magis intrinsecus, quàm proprietates & qualitates realiter distinctæ à substantiã: tum, quia subsistentia requiritur ut ipsa substantia conuenienter accipiat & sustentet proprietates: quod enim aliud sustentat & terminat, debet supponi iam terminatum, & subsistens. Hinc fit ut Verbum suppleas hanc subsistentiam, intelligatur prius naturã unitum.

Dico Secundò, Verbum non vnitur prius quàm accidentia informant quæ tempore antecedunt, ut sunt dispositiones materiæ, si quæ tales sunt. Hinc fit ut Verbum prius uniatur materiæ, quàm ipsa accidentia intelligatur ultimò completa, atque adeò prius quàm dispositio sit consummata; non tamen prius, quàm ipsa accidentia absolute infint. Aduerte tamen, Verbum uniri magis intimè quàm vllum accidens, & si naturam unionis spectes, magis insolubiliter. Quòd enim unio Verbi cum particulis materiæ dissoluatur euanescentibus accidentibus, prouenit non ex naturã unionis, quasi hæc pendeat ab accidentibus, sed ex diuinã ordinatione: nam accidentia illa tantum faciunt ad congruentiam assumptionis, non autem sunt necessaria ad naturam unionis.

13 Affirma- tur quoad accidentia que simul cum anima vel corpore oriuntur.

14 Negatur quoad accidentia tempore procedentia.

ARTICVLVS VI.

Virum Humana Natura fuerit assumpta mediante Gratia?

15 **R**espondetur; Non esse assumptam mediante gratiã habituali: neque etiam mediante gratiã unionis; si hæc accipiatur pro ipsa persona Verbi: sed est assumpta mediante gratiã Dei voluntate, non tamquam per medium, sed tamquam per causam efficientem. Notandum est; non solum gratiam habitualẽ, & ipsum

15 Gratia hic variè accipitur.

& ipsum esse personale Verbi, & gratuitam Dei voluntatem dici gratiam; sed etiam modum illum supernaturalem naturæ humanæ, secundum quem, ipsa dicitur inexistere Verbo; qui modus etiam vocatur gratia vnionis, vt supra dictum est quæst. 2. art. 10. Et si de hoc modo loquamur, humanitas est assumpta & vnita Verbo, mediante

gratia; quia mediante illo modo vnionis, qui est summa quædam gratia collata isti humanitati. Sicut si quis diceret scientiam copulari animæ, mediante inhærentiâ; & formam copulari materiæ, mediante informatione. Neque hoc D. Thomas negasset; sed loquitur de medio extrinseco. Sed de his plura infra.

Q V Æ S T I O S E P T I M A.

De Gratia Christi prout est singularis homo.

In Tredecim Articulos diuisa.

Hactenus disputatum est de essentia vnionis hypostaticæ; nunc incipit tractare de ijs quæ hanc vnionem sequuntur; tum ex parte Verbi, vt sunt gratia, scientia & potentia: tum, ex parte humanæ naturæ; vt sunt defectus. Quæ omnia D. Thomas generatim vocat co-assumpta; quia secundario & per ipsam naturam assumpta sunt.

ARTICVLVS I.

Vtrum in anima Christi fuerit Gratia habitualis?

Respondetur affirmatiue. Notandum est, quosdam Doctores olim sensisse in Christo non fuisse vllam gratiam creatam, eò quod per incretam esset infinite gratus; vnde illam fore superuacaneam, vt refert Paludanus in 3. dist. 13. quæst. 2.

Respondeo & Dico Primò, Præter vnionem hypostaticam, quæ aliquod creatum erat, in anima Christi fuisse veram gratiam creatam sanctificantem. Videtur fide tenendum; estque communis sententia Doctorum in 3. dist. 13.

Probatur Primò ex Scripturis. Ioan. 1. v. 14. Vidimus gloriam eius, & gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratia & veritatis. Vbi notandum, Erasmus & Caietanum hæc verba, (plenum gratia & veritatis) coniungere cum sequentibus, hoc sensu: Plenus gratiæ & veritatis Ioannes testatur. Ratio est, quia Græcè est nominatiuus πλήρης, non accusatiuus πληρῆ. Sed hæc expositio est contra omnes Patres, & perpetuum Ecclesiæ sensum; & contra distinctionem omnium Codicum Græcorum, in quibus post Veritatis, est punctum; & contra consequentiam textus: Nam statim vers. 16. subditur: De plenitudine eius, omnes accepimus. Et infra vers. 17. Veritas per IESVM Christum facta est. Nec refert quod in textu Græco sit πλήρης, id est, plenus; quia in multis Codicibus habetur in accusatiuo, vel notatur in margine. Quod si legamus in nominatiuo, illa verba, Vidimus gloriam eius &c. erunt legenda per parenthesin, & πλήρης constructur cum λέγει.

Lucæ 1. vers. 35. Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei. In quem locum Bernardus homil. 4. super Missus est: Singulariter sanctum fuit, quod Virgo concepit, & per Spiritus sanctificationem, & per Verbi assumptionem.

Item plurimis locis Christus dicitur vnctus Spiritu sancto. Isaia 61. v. 1. & Lucæ 4. v. 18. Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus misit me. Actuum c. 10. vers. 38. Quomodo vnxit eum Deus Spiritu sancto & virtute. Daniel. 9. vers. 24. Et vngetur Sanctus Sanctorum. Atqui hæc vnctio, etsi principaliter facta sit per vnionem hypostaticam, etiam facta est per gratiam sanctificantem, vt docet Athanasius serm. 2. contra Arianos sub finem. Basilium in Psal. 44. in illud: Propterea vnxit te Deus. Cyrillus in epist. Ad vitam solitariam agentes. Et Hieron. in c. 61. Isaia. Item Isaia 11. vers. 2. Requiescet super eum Spiritus Domini &c. vbi signatur Spiritus sanctus, cum omnibus suis charismatibus, Christi humanitati conferendus, vt docent Cyrillus in hunc locum, Gregorius lib. 29. Moralium cap. 30. & Bernardus serm. 16. in Cantica.

Probatur Secundò Ratione. Prima, Quia anima illa fuit Verbo coniunctissima: ergo maxime ab illo omnis gratiæ influxum recepit. Secunda, Quia oportebat vt anima illa vnita Verbo hypostaticè, etiam perfectissime eidem vniretur per cognitionem & amorem; ne tanti beneficii esset ignara, aut ingrata: atqui hæc vnio naturæ suæ postulat fieri per dona supernaturalia gratiæ. Tertia, Quia ab eius humanitate, tamquam à fonte omnis gratia in nos deriuari debebat, iuxta illud Ioan. 1. De plenitudine eius omnes accepimus. Quarta, Gratia est summa quædam animæ perfectio, & principium naturale operum supernaturalium virtutum; ergo cum anima Christi fuerit huius capax, non est cur ei negetur. Dices: sufficiebat gratia vnionis. Respondeo, Minime sufficere; quia gratia vnionis nõ perficiebat animæ vires ad suas operationes; nec reddebat illas fortiores aut vegetiores quàm si non adfuisset; sed solum sustentabat illam naturam, nullum influxum realem aut cooperationem præbens ad eius functiones. Vnde oportebat illam naturam donis creatis perfici & corroborari ad functiones supernaturales.

Dico Secundò, Hæc gratia, fuit non tantum quid transiens, sed donum quoddam permanens in animâ Christi, & habitus supernaturalis. Est ita certum, vt contrarium sit erroneum: & patet ex testimonijs & rationibus allatis. De quo plura Tract. de Gratia, 1. 2. quæst. 113. art. 2. dub. 1. vbi ostensum est iustificationem fieri per infusionem donorum supernaturalium; scilicet gratiæ & charitatis, vt ait Concil. Tridentinum sess. 6. cap. 7. & can. 11. vbi necessario intelliguntur dona

Fuit in Christo gratia creatæ sanctificans.

Ex Scripturis.

Erasmus & Caiet. male explicant locum Ioan. 1.

Dicitur sanctus.

Vnctus Spiritu sancto.

Quatuor rationes.

Gratia est summa anima perfectio.

Hæc gratia est quid permanens.